

# UEBER DAS GESETZ DER ELEKTRISCHEN ANZIEHUNG

## VOM PROFESSOR OERSTED

---

(AUS EINEM BRIEFE AN DEN HERAUSGEBER)

(BEITRAEGE ZUR CHEMIE UND PHYSIK. HERAUSGEgeben VON DR. J. S. C. SCHWEIGGER. BD. 12. P. 106.  
NUERNBERG 1814.)<sup>1</sup>

Kopenhagen, den 22. Nov. 1814.

**U**ebert die Abnahme der elektrischen Kräfte mit wachsenden Entfernungen, habe ich eine sehr bedeutende Reihe von Versuchen vollendet, woraus es sich ergiebt, dasz die Kräfte weder im umgekehrten Verhältnisse der Entfernungen noch der Quadrate der Entfernungen stehen, sondern dasz die Abnahme nur durch eine Reihe ausgedrückt werden kann. Gleich nach Neujahr werden Sie darüber eine Abhandlung bekommen, worin auch manche nicht unwichtige Folgerungen aus diesem Gesetze vorkommen werden.

---

TENTAMEN NOMENCLATURÆ CHEMICÆ OMNIBUS  
LINGUIS SCANDINAVICO-GERMANICIS COMMUNIS,  
PROLUSIONIS LOCO SCRIPSIT M. JOANNES CHRI-  
STIANUS ØRSTED

PHYSICES PROF. PUBL. EXTR.

---

(ANNIVERSARIA IN MEMORIAM REIPUBLICÆ SACRÆ ET LITTERARIÆ CUM UNIVERSÆ TUM DANICÆ NOSTRÆ  
RESTAURATÆ CELEBRANDA INDICIT REGIÆ UNIVERSITATIS HAUNIENSIS RECTOR CUM SENATU ACADEMICO.  
HAUNLÆ 1814.)<sup>1</sup>

**M**ulti viri doctissimi chemicis vitio verterunt quod vocabula technica frequenter mutent; ita ut idem, qui paucos ante annos libros chemicos sui temporis bene intellexisset, recentissimos non intelligat, nisi scientiæ hujus progressus continua

<sup>1</sup> [Dasselbe Thema wird behandelt in: Det kongelige danske Videnskabernes Selskabs Oversigter. 1814—15. P. 9. Kiøbenhavn. — Sämtliche Aufsätze aus »Videnskabernes Selskabs Oversigter« finden sich zu Ende dieses Bandes.]

<sup>2</sup> [Kort Gengivelse i: Videnskabernes Selskabs Oversigter. 1814—15. P. 7—9. (Alle Afhandlinger fra V. S. O. findes samlede i Slutningen af dette Bind). Tysk Oversættelse i Schweiggers Beiträge zur Chemie und Physik, Bd. 12. P. 113—154, samt i Trommsdorffs Journal der Pharmacie, Bd. 24. P. 375—437. Leipzig 1814.]

diligentia persecutus fuerit. Eandem exprobationem mihi nomenclaturam chemicam linguarum Scandinavianico-Germanicarum reformare aggredienti, factum iri facile prævideo. Parum tamen reprehensionem metuo, quæ non me solum, sed omnes chemicos, tam præteriti ævi quam præsentis, pari injuria tangat. Vix ulla alia est scientia, cujus cultores tantam in lingua technica formanda industriam adhibuerint, a primo inde tempore, cum vires occultas corporum non nisi obscure cognitas nominibus mysticis potius celare quam aperire voluisse crederes, ad nostrum usque ævum, quo compositionem satis bene perspectam nomine cujusvis corporis exprimere conantur. Omnem alicujus momenti progressum, quem fecerit chemia, secuta est quædam dictionis ejus technicæ immutatio. Indefessum illud linguam formandi et reformandi studium, per totam chemiæ historiam manifestum, ex sola novandi cupiditate proficisci certe nequibat, sed non potest non ex ipsa scientiæ natura originemducere. Nec hujus rei causam indagare difficile esse videtur; chemia enim in eo ab aliis scientiis differt, quod frequentissime de proprietatibus et viribus agit, quæ nullâ aliâ via nobis innotescunt; nec in ipsius animi affectionibus conspi ciuntur, ut eæ, quæ in philosophia tractantur, nec formis et proportionibus constant, quarum imagines etiam sensus externi præbent, ut omnia quæ in scientiis mathematicis exponuntur. Has vires et proprietates, effectus earum enumerando, notas nobis reddere et intellectui admovere chemia conatur; atque rem intellectam in mente retinere nominis ope docet. Nomina igitur in hac scientia majoris sunt momenti quam in plerisque aliis; et male mihi chemiæ consuluisse videntur, qui voluerunt ut astronomiam imitaretur, quæ, quamquam vocabulis et appellationibus barbaricis abundet, scientiarum naturalium facile erit princeps; tanta enim est harum scientiarum dissimilitudo, ut altera ad alterius exemplum in hac re minime sese formare possit.

Experientia quoque monstravit, longe facilius evasisse chemiæ studium, perfectiore redditâ artis lingua. Hoc præcipue evenit cum, triginta circiter abhinc annis, societas doctorum virorum in Gallia, novas appellationes secundum certa principia creando, cæteros Europæ chemicos præveniebat, atque ita dictionis chemicæ confusionem, eo tempore maximam, feliciter cohíebat. Quamquam novæ hæ rerum denominations vitiis etiam suis laborant, nemo tamen inficias ibit, eas perspicuitate, brevitate et flexibilitate

plerumque commendari; nec falsæ opiniones, quæ in nominibus quibusdam continentur vel præsumuntur, multum offendunt, cum vocabula primitiva, ex Græco fonte hausta, inter legendum vel audiendum, non secundum originem peregrinam, sed secundum novorum vocabulorum definitiones intelligantur. Novum hoc appellationum systema in linguas a Romana ortas facile translatum est; non ita in linguas nostras Scandinavico-Germanicas. Primum in Germania hæc translatio tentata est, sed tempore quo de ipsis principiis totius scientiæ certabatur; unde factum est, ut lingua minus diligenter tractata sit. Nomenclaturam Græco-Gallicam, quæ imitanda erat, ad litteram vertere scriptores chemici conabantur. Ita vocabula säureerzeugender Stoff vel Sauerstoff, wassererzeugender Stoff vel Wasserstoff pro Gallicis oxigène et hydrogène, creata sunt; et eodem modo Græco-Gallicum illud oxide per Germanicum Halbsäure translatum est. Nimia fide nos Dani hoc exemplum secuti sumus; hinc verba nostratio Surstof, Vandstof, Halvsyre, ad litteram ex Germanico conversa. Sveci majori libertate quidem in hac re usi sunt; longe tamen absunt vocabula, quæ effinxerunt, a flexibilitate gallicorum, usui adeo commoda.

Vitium præcipuum nomenclaturæ chemicæ in omnibus linguis Scandinavico-Germanicis inde ortum est, quod nomina corporum simplicissimorum, ex quibus cæterorum omnium vel deduci vel conflari debebant, jam ipsa ex pluribus sunt composita, eaque adeo imperfecte conjuncta, ut potius definitionem quam verbum efficere videantur. Si autem tota rei alicujus natura ne amplissima quidem descriptione, vel operosa verborum multitudine, comprehendi potest, verbo unico certe exprimi nequit. Nomine igitur natura rei una tantum ex parte indicatur. Si hoc ita fit ut origo ejus non primo intuitu perspiciatur, et quasi animo obtrudatur, sed modo divinetur, nec nisi sollerti scrutatione perfecte intelligatur, id maxime approbandum est; si econtrario originem manifeste præse fert, animum eam naturæ rei partem semper recordari cogit ex qua natum est, etiam quando de proprietatibus ab ea diversissimis agatur. Quantum noceat hoc vitium in appellationibus compositis, ad certas regulas ex simplicioribus formandis, præcipue conspicitur. Sæpiissime enim accidit in dictione nostra chemica ut res nomini ipsi attribuendo, propter apertam repugnantiam, se associari minime patiatur, sed aut multis verbis describenda aut vocabulo

peregrino appellanda sit. Huc accedit quod hæc ex aliis conflata nomina sæpius sterilia sunt; ita ut et paucæ ex iis generentur aliarum rerum appellations, et paucæ istæ non raro vitiis laborent, ob quæ rejiciendæ sint. Exempli causa vocabula Gallica et Germanica, quæ ad oxygenium pertinent, enumerabimus, et asteriscis singulis ea distinguemus, quæ grammatica improbat, duplicitibus autem, quæ falsas rerum notiones aperte significant.

<i>Oxygène</i>	<i>Sauerstoff</i>
<i>Oxygénier</i>	<i>Sauerstoffen*</i>
<i>Oxygéné</i>	<i>Gesauerstoffl*</i>
<i>Oxygénéation</i>	<i>Sauerstoffung*</i>
<i>Desoxygénier</i>	<i>Entsauerstoffen*</i>
<i>Desoxygéné</i>	<i>Entsauerstoffl*</i>
<i>Desoxygénéation</i>	<i>Entsauerstoffung*</i>
<i>Oxide</i>	<i>Halbsäure**</i>
<i>Oxidule</i>	
<i>Oxider</i>	<i>Halbsäuern**, Säuern**</i>
<i>Oxidé</i>	<i>Gesäuert**</i>
<i>Oxidable</i>	
<i>Oxidation</i>	<i>Halbsäurung**</i>
<i>Desoxidér</i>	
<i>Desoxidé</i>	
<i>Desoxidable</i>	
<i>Desoxidation</i>	
<i>Protoxide</i>	
<i>Deutoxide</i>	
<i>Tritoxide</i>	
<i>Tetroxide</i>	
<i>Peroxide</i>	

Maxima pars horum vocabulorum germanicorum adeo infelicitate efficta sunt, ut plurimi chemicorum in hac lingua scriptorum eis uti recusaverint. Vocabulum Halbsäure et omnia ex eo generata tamquam rei omnino incongrua plane rejecta sunt. Aliud sauerstoffen ejusque dirivata jure reprehenduntur, et a paucissimis usurpantur. Dicunt igitur oxidiren, oxidirt, oxidation, desoxidiren et sic porro, quamquam hæc vocabula et peregrina sunt et secundum regulas a lingua alienas derivari flectique debent. De vocabulis Danicis et Hollandicis ejusdem tenoris idem ferendum

est judicium. Svecica melius quidem concinnata sunt, et quoad formationem grammaticam minime vituperanda; sed pauciora sunt, et propter vocabuli primitivi, haud bene electi, sensum nimis manifestum, in nominibus compositis saepe offendunt; ita verbi causa Kalium oxydatum suecice syrsatt Kalium appellari deberet, quamvis naturam habeat aciditati maxime oppositam. Hac de causa Chemici Suecici, æque ac Germanici, Hollandici et Danici, vocabulis peregrinis Oxid, Oxidul, Suboxid etc. utuntur.

Multos huic nomenclaturæ peregrinæ usui favere non ignoro; commercium lingvarum cum aliis gentibus promovendo eum magis prodesse, quam linguam patriam adulterando nocere existimant. In chemia vero commodum illud tantum non est quantum putant; nam in hac scientia maxima pars vocabulorum technicorum a paucissimis primitivis derivantur, ita ut quisquis sibi ex libris cujuscunque linguæ scientiam chemicam comparaverit, nomenclaturam chemicam bene compositam alias linguæ vel duabus horis facile discat. Detrimentum ex nomenclatura peregrina in nostra lingua recepta ortum majoris est momenti. Experientia enim docet, illiteratos, quibus aditum ad chemiam præcludere certe nolit patriæ amicus, vocabula Græco-Gallica haud facile capere, raroque eis adeo adsvescere, ut appellationibus ex elementis patriæ linguæ conflatis. Si igitur magis opera danda est ut ab iis intelligamus, quibus scribimus, quam ab exteris, vix dubitandum est quin potius nomenclaturam chemicam propriam creare debeamus, quam peregrinam mutuari, quæ cum patria lingua nunquam tamen coalescere possit. Quoad ipsam linguam, vocabula peregrina singula parum nocere equidem concedo; at vero formas grammaticas alienas introducendo puritatem illam linguæ turbant, quam tamquam palladium quisque populus religiose servare debet. Incommodum illud nomenclaturarum plurium discendarum, per se jam exiguum, multum eo imminuitur, quod appellationes facile ita concinnari possunt, ut omnibus linguis ejusdem generis sint idoneæ. Ita vocabula chemica ex Græco et Latino sermone hausta facile ad omnes linguas ex Latina ortas accommodantur. Eodem modo ex vocabulis primitivis, omnibus linguis Germanico-Scandinavicis communibus, confici debet lingua chemica, per maximam Europæ septentrionalis partem valitura. Jamdiu grata mihi fuit occupatio talem nomenclaturam effingere. Ad linguam nostram Danicam natus, a præceptore Theotisco, optime de me merito, linguam ejus

jam tener didici, ita ut paternam alteram eam quodammmodo dicere possim; fraternalm igitur utriusque similitudinem mature et videre et amare adsvevi. Eodem animo pulchram linguam Svecicam consideravi, cum ad ejus cognitionem perveneram, sæpiusque vocabula feliciter efficta ex ea mutuatus sum, quando eorum indolem a Danico sermone non alienam esse cognovi. Hollandicæ quoque linguæ, toties ab ignorantibus vituperatæ, notitiam aliquam comparare conatus sum. Inter hæc studia plane perspexi, quantum linguas suas neglexerint populi Scandinavico-Germanici, alter linguam alterius negligendo; nec me fugere potuit arcta illa affinitas harum linguarum, quam omnes agnoscunt; ad fontes igitur, unde profluxerunt, magis magisque adeudos compulsus sum. Cum raro certe accidat, ut chemicus tantum his lingvis operæ impendat, officii mei esse duxi fructus horum studiorum cum aliis chemicis communicare. Non is eqvidem sum, qui vana spe teneat, fore, ut omnia quæ propono recipiantur, contentus si tantum aliquid contulerim ad linguam egregiam Scandinavico-Germanicam expurgandam, cui non modo id cum Graeca commune est, quod plures dialectos poësi et philosophia excultas comprehendit, verum etiam quod ex propria stirpe omnia verba producere potest, quæ ad novas rerum notiones exprimendas requiruntur; ita ut nulla necessitate jugo peregrino sese submittere cogatur. Jure linguæ nostræ hacce integritate superbunt. Tamquam sanctum consangvinitatis vinculum, quo omnes conjungamur, communem istam linguæ præstantiam considerandam, animumque fraternum inde oriundum, ubique fieri possit, quam maxime fovendum esse existimo. Ideoque Anniversaria in memoriam reipublicæ sacræ per *Lutherum* restauratæ, quæ ad linguas nostras Scandinavico-Germanicas excolendas tantum contulit, docta quadam dissertatione indicturus, ex mea arte nihil hoc tractatu de lingua chemica communi magis hunc in finem idoneum esse putavi. Opusculum meum, L. B. eodem, quo scripsi, animo excipias peto rogoque.

In iis, quæ huc usque disputavimus, præcipuarum nomenclaturæ chemicæ formandæ regularum pleræque jam comprehenduntur; easdem tamen unacum cæteris hic enumerabimus, ut omnes uno quasi intuitu oculis subjiciantur.

- 1) Quin veraces esse, id est falsas rerum notiones non inculcare debeant, appellationes, nemo certe dubitabit.

- 2) Rem significare, non describere debet nomen, nisi hoc fieri potest elementa ejus indicando.
- 3) Ubi fieri potest, præcipue autem in elementis, ex quibus permulta generantur corpora, denominandis, cavendum est, ne in nomine elementi nomen compositi elementum efficiat, ut v. c. in vocabulis Wasserstoff, Waterstof, Vandstof, Salpeterstoff, quod jam per se sensum recti quodammodo offendit, in nominibus compositis autem sæpe molestissime ferendum est.
- 4) Quam maxime conandum, ut nomina rerum simplicissimarum secunda evadent, id est idonea ex quibus singulis tot derivari queant appellationes, quot ex re significata res aliæ generari possint.
- 5) In nominibus præcipuis formandis prospiciendum, ne composita nimis longa vel pronuntiati difficilia fiant.
- 6) Vocabula peregrina rejicienda sunt, quando ad regulas grammaticas paternæ linguae se formari non patiuntur.

Ut tot satisfieri possit desideratis, maxima in effingendis vocabulis primitivis libertas concedenda est. Modo solito verba componere non sufficit; nam de rebus nondum in nostra lingua nominatis hic agitur, quarum elementa nobis ignota sunt, et ex quarum nominibus multarum aliarum rerum nomina formari debent. Eadem igitur sumus conditione, qua fuere homines, qui prima rerum nomina invenerunt. Ad prima linguarum stamina, ex quibus cætera omnia verba contexta sunt, redire oportet. Ad illorum nominum primitivorum normam nova nostra primitiva etiam formanda sunt. Fore scio, qui contra hoc consilium objicient, talem libertatem facile in nimiam licentiam degenerare, qua lingua tandem in aliam a præsenti diversissimam mutari possit. Respondeo, me talem libertatem, non in omnibus, quæ existere possint, verbis fingendis postulare, sed tantum in iis formandis, quibus disciplina quædam carere non possit. Nimiam in hac re licentiam lingvæ maximum detrimentum adferre posse certe inficias non ibo; verum idem spero eos concessuros, nimiam licentiæ circumscriptionem non minus nocere. Multa nova vocabula parum idonea scriptores apud nos creaverunt, quorum loco meliora habemus, si, ad naturam rei magis adtenti, in vocabulis receptis prima

germina investigavissent, ut pro rebus simplicibus nomina simplicia invenissent, nec vocabulo potius omnia exprimere quam sensus tangere voluissent.

Hæc ad libertatem quam postulavimus vindicandam sufficere possent videri, si vel exemplum nomenclaturæ chemicæ Gallorum deesseset; hæc autem eximum istius licentiæ specimen præbet. Maxima pars vocabulorum primitivorum, quibus utitur, Græca sunt, indigenis antea inaudita, ut *οξυς*, *ζωη*, *νδωρ*, *γεινομαι* etc. Derivationes aliae ex græca lingua originem ducunt, ut oxide (*οξειδιον*), protoxide etc.; aliae syllabis adjectis formantur, quarum significations nulla usus auctoritate, sed arbitrio tantum nituntur, ut in vocabulis: sulfate, sulfites, sulfure etc.; ita ut illa libertas, ei comparata quam nos postulamus, licentia dissolutissima videatur.

Novitate tamen magis quam hac licentia primo suo tempore displicuit nomenclatura gallica; novitate etiam nostram offensuram non prævidere sane nequeo. Fuerunt, qui nomenclaturam gallicam in ludibrium vertere conati sint; erunt qui acumen in nostram pariter exercere cupient. Salem istum communem in novis rebus irridendis vulgo semper consumere licebit; brevi consumitur; res si bona est, intacta manet.

Principium illud in aëre, sine quo nec corpora uri nec animalia spiritum ducere possunt, ex aciditate quam cum eo permixta contrahunt multa corpora, oxygenii nomen cepit. Experimentis recentioribus comperimus, multa alia corpora, huic principio conjuncta, vim aciditati contrariam acquirere; ita ut nomen ex aciditate petutum nunc minus idoneum videatur. Casu tamen evenit, ut vocabulum Græco-Gallicum hoc vitio careat, quoniam *οξυς* aliquid et acidum et acre esse significat; acria autem sunt non modo acida, sed etiam corpora aciditatem coërcentia, quæ alcalina appellamus. Nostra vero vocabula Surstof, Sauerstoff, Syre, Zuurstof, quamquam etiam plures acritudines adjectivo suur notamus, eandem ambiguitatem non habent, nec significationem quæ in errorem inducere poterit celant, sed manifeste præ se ferunt, ut jam supra monuimus. In primam igitur regulam aliquid jam peccant hæc vocabula, magis tamen in secundam, et tertiam; quarum posteriorem negligere idem est ac mancam et imperfectam linguam artis efficere. Quartam regulam parum etiam in his vocabulis creandis observatam fuisse primo intuitu indicis supra adlati appareat. In quintam regulam ipsa quidem non peccant; ansam tamen dederunt

ut in eam peccaretur, quoniam defectus vocabulorum indigenorum, ad peregrinos fontes petendos nos compulit.

Proprietatum omnium oxygenii illa haud dubie præcipua existimari debet, quod mixturam chemicam cum plerisque corporibus efficiens, flammam gignit. Licet eadem proprietas etiam aliis materiis attribuenda sit, huic tamen, tanquam ignis pabulum maxime vulgare, summo jure competit. Nomen ignis Germanicum Feuer, non aptum videtur, ex quo, levi quadam mutatione, nomen Oxygenii formari possit. Danicum vero ignis nomen Ild, litteris consonantibus magis quam vocalibus constans, huic proposito potius convenire puto. Idem vocabulum in omnibus linguis Scandinavico-Germanicis occurrit; est Anglo-Saxonicum Älled, Islandicum Eldr, svecicum Eld. Nec tantum in linguis nostris reperitur, sed etiam in Græca, ubi Ἡλιος solem, ἥλη vel ἥλη calorem nec non splendorem solarem, ἀλέα similiter calorem, præcipue solarem, significant. In Persica etiam lingua, quam matrem esse nostrarum, jamdiu agnoverunt docti, et ex antiqua Islandica adhuc ulterius comprobabunt nostrates, ignis a la appellatur. In Svecico sermone antiquo accendere similiter ala, in Anglosaxonico ælan sonat. Celeberrimus *Johannes ab Ihre*, cuius glossario Sviogothico et diligenter usus sum, quodque chemicis, novarum rerum nomina efficturis, quam maxime commendo, vocabulum latinum oleum nec non græca ἔλαιον et ἀλέα ex eadem matre nata esse putat. Adjicit: »Imo Lat. oleo nihil aliud, quam nostrum ala olim denotasse, residuum adolesco prodit, ut in illo VIRGILII: Adolescunt ignibus aræ. Nec quemquam turbare debet vocalis a in o commutatio: nam præterquam quod ea nihil frequentius sit, observare licet, nostrum ala in imperfecto ol habere, ut exempla mox adferenda monstrabunt.« Svecicum idem ala etiam gignere, procreare, educare et alere significat. Antiquissimis rerum nominibus sapientiam occultam insitam esse, etiam hoc exemplo comperimus; combustio enim est generatio novi corporis ex conjunctione duorum aliorum, quæ ob naturam diversam et oppositam se invicem attrahunt. Simile aliquid etiam in alio verbo, ignem excitare significanti, occurrit. De Dan. tænde loquor, quod Svec. tænda, Engl. Sax. tynan et tendan, Isl. tendra, Pers. zendan (et ignitabulum zend) Lat. cendere (in accendere) Germ. zünden sonat. Putant multi viri doctissimi, vix sine jure, radicem horum vocabulorum in Celtico Tan, quod ignem significat, servatam esse. In Persica lingua zindagan i

vitam, et zende vivum significat, ita ut quæ ad vitam et quæ ad ignem pertinent, vocabulis inter se quam maxime similibus, in hac lingua, notentur. Eadem ratione inter se convenient vocabula tænda et tan et Icelandicum tana, quod crescere denotat; crescere enim non nisi lente generari est. Ex verbo hoc Islandico, Germanicum Tanne potius derivaverim, quam (ob ignis concipiendi facilitatem) ex Celto illo Tan. (Vid. *Ihre Gloss.* Svio. Got. Voc. tænda). Consensum æqualem in vocabulis Græcis Θαλλω vireo, pullulo, et Θαλνω calefacio, uro, incendo, invenimus. Hæc omnia, ut mihi videtur, satis ostendunt, nos ad prima lingvarum stamina, unde nomina rerum simplicissimarum sumenda sunt, hic pervenisse. Derivata ex vocabulo Tan variis aliorum vocabulorum similitudinibus offendunt, qvæ ab Älled vel Eldr proficiscendo evitantur. Hoc igitur præferendum censemus.

Ex danico vocabulo Ild facile nomen principii nostri igniferi formari potest, litteram *d* mutando in *t*; ita ut Ilt nomen oxygenii in nostra lingua fiat. In lingua Suecica Elt dicerem, nisi plura inde derivata vocabula aliis, sensu longe ab eis diversis, nimium similia fierent. *E* igitur etiam hic in *I* commutandum est, cuius mutationis multa in omnibus linguis occurrunt exempla. Anglo-saxonicum Ælled in Ellt aut Elt, eundem in finem mutari poterit; quæ mutatio quamquam fere omnes vocabuli litteras tangit, nihilominus levissima est, et non nisi contractio et soni acceleratio vocari potest. Derivata horum vocabulorum secundum regulas fiunt, quæ quisque facile Tab. I intuendo inveniet; ubi etiam ubertatem nostræ nomenclaturæ et inopiam jam receptæ adparituram spero. Hoc tantum adjiciendum existimo, me vocabulum gas expulisse, et ejus loco usitatissimum illud Luft, quo etiam usi sunt multi chemici optimi, recepisse. Latinum Aër et Scandinavico-Germanicum Luft non modo aërem circumjectum significat, sed omnia corpora fluida quæ eadem facilitate ac ille vi comprimenti cedunt, et hac vi sublata pristinum spatum denuo occupant. Si pluralem numerum vocabuli Luft admittere nolumus, Luftarter, Luftarten etc. dicere possumus. Est vocabulum gas linguæ Gallicæ necessarium, quia in plurali numero nec dicere (hoc sensu) licebit les airs, nec sine ambagibus semper dici poterit les differens espèces d'air ubi plures aëris species significari deberent. Teneant igitur Galli gas suum ab *Helmontio* mutuatum, nos vero hoc vocabulo commode supersedere possumus. Aërem oxygenicum

non Iltluft, ut ferebat derivatio, sed Ildluft, τῆς ενφωνίας causa, appellavi. Ubi talis immutatio ad sonum injucundum evitandum aliquid conferre, nec in errorem inducere potest, eam negligere minime oportet, uti in chemia sæpissime factum est.

In hoc et cæteris indicibus lingua patria primum occupat locum, Svecica, nostræ quam maxime similis, secundum, Germanica magis ab ea diversa, quamquam ex eadem stirpe nata, tertium. Quarto loco Hollandica vocabula posui, eisque Gallica subjunxi, quorum duplex est usus; alter quod Hollandica explicant, alter quod nomenclatura chemica hucusque perfectissima cum nova nostra comparari potest. Synonyma autem Hollandica, quorum collectionem non nisi mancam et imperfectam mihi comparare licuit, cum apud nos optimi libri Hollandici plerumque tantum in versionibus Germanicis existent, omisi. In tot vocabulis effingendis, idque in variis linguis, errores certe evitare nequiverim. Quæ ita peccaverim, lectorem æqvum excusaturum spero.

Materia quam hydrogenium Galli, Scandinavico-Germanicæ linguæ vero Vandstof, Väte, Wasserstoff, Waterstoff, appellaverunt, facultate ignis concipiendi eminet; ita ut multi fuerint qui eam omnibus corporibus igni concipiendo aptis inesse, eisque hanc proprietatem impertire putaverint. Scimus eam cum septem partibus et dimidia oxygenii conjungi posse, quibuscum aquam efficit, in qua nulla oxygenii virium manifesta est, licet omnes ibi lateant. Nullum adhuc inventum est corpus, quod ea vi oxygenium coërcere valeat. Ex facultate ardendi igitur nomen ei petendum est, quod etiam ei congruum esse manebit, si vel eandem facultatem in alio quodam corpore majorem forte reperturi simus.

Urere in omnibus fere linguis verbo exprimitur, cuius sonus principalis est *br*; Græce enim πογθεύ, dicitur; latinum urere antea burere sonuisse ex composito comburere suspicari licet; Italicum brucciare, Gallicum bruler, Anglicum burn, Scandinavico-Germanica brænde, brænna, brinna, brennen, branden etc. idem confirmant. In lingva Suecica brinna ardere, brænna comburere significat. In lingua Islandica, eadem occurrit differentia, ardeo enim eg brenn, comburo eg brenni sonat. Hoc in præt. part. pass. brenndr, illud brunnin (ubi *u* ut danicum *y* aut germanicum *ü* pronuntiatur) habet. Antiquam germanicam linguam eadem ratione inter brinnan et brennan distinxisse docet cl. Adelung. Linguæ Scandinavico-Germanicæ hodiernæ

eandem distinguendi rationem in aliis verbis agnoscant, ut in vocabulis ligge, ligga, liegen, liggen et lægge, lägga, legen, leggen, in sidde, sitta, sitzen, zitten, et sætte, sätta, setzen, zetten, in synke, sjunka, sinken, zinken, et sänke, sänka, senken appetat. Eodem jure igitur, quo corpus adustum brand appellatum est, nobis licebit corpus, quod maximum ardendi nisum habet, brind vel brint vocare. Postremum, ob derivatorum ab aliis verbis maximam dissimilitudinem, præferendum censemus. Tab. II vocabula chemica ab hoc derivata monstrat.

Principia carbonum et aëris azotici certe magna scientiæ mysteria continent, sed nondum satis nota sunt. Recentiora autem inventa spem excitant, fore ut prope adfuturum sit tempus, quo eorum naturam plenius perspicere detur. In tali rerum statu nova his corporibus nomina imponenda non esse existimamus; præcipue cum in alia corpora non nisi vi parva chemica agant, ideoque nomina eorum in lingua artis non tanti sint momenti, quanti sunt nomina oxygenii et hydrogenii.

Vocabulum Alcali, diurno usu in nostris linguis gothicis quasi jus civitatis adeptum, ob peregrinum originem expellere vix ausim, nisi alia commoda inde redundant; quin etiam mutatio, quæ aliàs per se est incommodum, hic utilitatem suam habet; notio enim alcalinitatis, antea tria tantum corpora, jam omnia aciditatem cohibentia comprehendens, ita dilatata est ut nomen, cui vetus inhæret sensus, utiliter cum novo commutemus. Vim illam aciditatem coërcendi combustionē metallorum generari scimus, qua nitor et cohærentia horum corporum in cineris speciem convertuntur. Abeunt quidem ustione multa etiam metalla in acida, est tamen cinerea forma acidis minime communis; corporibus vero antiacidis omnibus, si unum aëreum excipias, communis est. Huic accedit, quod vim antiacidam primum in cineribus lignorum cognovimus. Ad Arabum igitur exemplum ex cineris nomine nomen corporum aciditatem coërcentium fingendum esse existimo. Sonat hoc in nostra lingua Aske, Svec. Aska, Germ. Asche, Holl. Asch, Assche, vel Asse. Est igitur Ask his omnibus communis. Ad nomen propositum formandum litteram *A* in *Æ* commutabimus, cuius tamen vice in Hollandica lingua fungitur littera *E*; qua literæ *A* in *Æ* commutatione nil est vulgarius, quæque in derivatis ipsius Aske v. Asche occurrit, ut in Germanico einäschern videmus. Litteram finalem *a* vel *e* vocabulorum Aske, Aska, Asche rej-

cimus. Corpus igitur aciditatem coërcens Danice et Svecice *Æsk*, Germ. *Äsch*, Holl. *Esch* appellabimus; et, (id quod nil dissuadet) ad majorem cum aliis vocabulis dissimilitudinem, eadem inter nomina neutra referemus. In Danica nostra lingua pluralis numerus hujus vocabuli, similitudinis cum alio evitandæ gratia, adjecto solo *e* formari debet. In Tab. III videre licet quot ex hoc unico vocabulo in quavis lingvarum Scandinavico-Germanicarum fieri possint derivata, quorum aliqua minus necessaria, nullum tamen superfluum in chemia exponenda futurum esse spero.

Tab. IV vocabula, quæ ad acida et aciditatem pertinent, ostendit; quæ, quamquam magna ex parte notissima sint, enumerare tamen debui, tum propter aliquorum in nomenclatura chemica hodierna abusum, tum propter aliorum neglectionem, qua peregrinis vocabulis locus indigenis debitus relinquebatur.

Metalla in terris et in corporibus alcalinis nuper detecta, ex Latinis ipsorum cinerum nominibus, adjecta syllaba *um* vel *ium*, adsciverunt. Vocabula *calium*, *natrium*, *calcium*, *argillium* etc. ita formata sunt. In linguis nostris Scandinavico-Germanicis hæc nomina minime admittenda mihi videntur; est enim terminatio vocabuli in *um* vel *ium* nobis quam maxime aliena, et nomina sæpe nimium longa efficit. Accedit, quod, hoc artificio, rebus notissimis nomina peregrina et inaudita attribuuntur: ita *calx* apud nos *Calciumoxid* vel potius *Calcium-Deutoxid*, *argilla* *Argilliumoxid*, vel etiam *Argillium-Deutoxid* appellabitur. Ut huic incommodo succurratur, nomina horum metallorum ex nominibus indigenis terrarum vel *alcalium*, quibus continentur, formanda sunt. Hoc saepius fieri potest ope vocabuli antiqui *aer*, *er* vel *ar*, unde *Germanicum ehern*, *aeneus*. Cel. *Ihre Latinum æs a Svecico är derivandum esse putat*. Hæc sunt ipsius verba: »In oculos incurrit harmonia latinæ vocis *æs*, *aeris*. Utra vero antiquior, voxne Suecorum an Latinorum? Credidero ego certe, eos, qui cuprum habuere, cum merce vocem dedisse. Latium novimus hoc metallo caruisse: Cyprios vero græcosque aliter appellasse.« Quæ opinio viri doctissimi etiamsi non admitteretur, certum tamen maneret, vocabulum *aer* in linguis nostris antiquissimis temporibus jam receptum fuisse, quod nostro proposito sufficeret. Hoc vocabulum brevitate et simplicitate sua quam maxime idoneum videtur, quod elementum novorum nominum efficiat. In lingua Hollandica, litera *æ* vel *ä* destituta, *Allemannicum ar* vocabulo *aer* substituo.

Nomina ope hujus vocabuli composita, etiam metallorum, quæ esse theoria sola docuit, in tabula quinta conspiciuntur. In nominibus oxydorum frequentissime syllabam ær omisi, ubi hoc in errorem inducere nequibat. Loco vocabuli Kiesel posui Flint, quod et brevius est et svavius sonat, nec non in omnibus linguis Scandinavico-Germanicis invenitur. Ammonii nomen Scandinavico-Germanicum syllabas finales abjiciendo, formavi, quo facto nomen Ammonis dei restat. Hoc nomen tanto melius conservari potest cum multis aliis metallis nomina divina imposuerint chemici nostri ævi; quod equidem non approbans, factum tamen mutare nolle. Nomina quæ nec significatione inconcinna, nec flexione grammatica, nec sono ingrato offendunt, originis causa minime rejicienda esse existimo. De cætero nomina ex mythologia petere dissuaserim, cum linguam vocabulis ei alienis facile impleant; nec antiquitatis autoritatem habent; nam appellationes alchemicæ non simpliciter mythologicæ sunt, sed ex mythologia astronomica originem ducunt. Porro constat alchemicos nomina mythologica in rebus metallicis minime ob inopiam aliarum appellationum usurpasse, sed vulgatissima auri, argenti, ferri nomina cum mythologico-astronomicis commutasse; quia tota ipsorum scientia mythologico-astronomica et mystica fuit. Metallorum denique nomina ex planetarum non finixerunt, ut nos facimus, cum unum metallum Palladium, aliud Cererium, aliud Uranium appellamus; sed nomina planetarum sine ulla mutatione pro metallorum posuerunt, ita ut Sol aurum, Luna argentum, Venus cuprum significaret.

Metallo alcali vegetabilis nomen comminisci difficilius videtur. Ex vocabulo Potaske vel Pottasche nullo modo fieri potest. Vocabulum Kali certe huic usui multo magis est idoneum, offendit tamen sono in plerisque compositis. Kaliær nimis erit durum. Kalær et Kalæsk vel Kaläsch potius toleranda essent, nisi similitudinibus quibusdam offenderent. Cum denominationes alcali vegetabilis jam variæ et multæ tentatæ sint, v. c. in lingua Germanica Pottasche, Weinsteinsalz, Pflanzenalkali, Gewächslaugensalz, Kali, quarum nulla per longum tempus cæteras excludere potuit, novæ me absque temeritate periculum adhuc facere posse puto. Vidimus jam supra inter nomina simplicissima ignis vocabulum Tan fuisse; tan a vero crescere, virescere denotasse, qua de causa metallum alcali vegetabilis, quod et magna cupiditate ignem suscipit, et in fere omnibus materiis e regno vegetabili con-

tinetur, aptissime Tanær appellari posse existimo. Cinis hujus metalli igitur Tanæsk vel Tanäsch vocabitur, cuius vocis sonum multo svaviorem esse quam Kaliumoxid, quis est qui non sentiat.

Materiam metallicam, in natro impuro, soude de varech appellato nuper detectam, propter splendorem metallicum et naturam volatilem Fluglit nominavi. Prima hujus vocabuli syllaba sonum præcipuum in omnibus verbis Scandinavico-Germanicis, quæ volare significant, efficit; posterior in lingua Islandica splendorem denotat, et a Cel. *Fulda* inter vocabula primitiva Germanica non injuria numeratur. Nomen Græco-Gallicum hujus materiæ ex vocabulo Græco *ἰώδης* violaceus, propter colorem vaporum, factum est.

Num aër, quem acidum muriaticum oxygenatum vocamus, re vera ex acido muriatico et principio oxygenico sit compositus, an corpus sit simplex, quod cum hydrogenio junctum acidum efficiat muriaticum, inter chemicos nondum constat. Cel. *Davy*, qui hunc aërem simplicem esse putat, eundem ob colorem chlorine appellavit. Ego ex virtute caustica potius nomen ei quæsiverim. Quod autem Latine causticum vocatur, apud nos ätsende, vel etsend, ex vocabulis æde, æta, essen, eeten, dicitur. Chlorine igitur celeberrimi *Davy* in nostris lingvis Ätsel, Ätzel vel Etsel vocaverim.

Hæ sunt præcipuæ emendationes nominum corporum primi et secundi simplicitatis chemicæ gradus. Cætera nomina ex his omnia componuntur. Quantum breviora et pronuntiatu facilitiora hæc nova, quam hucusque usitata vocabula, evadant, chemicum neminem fugiet. Ut exempla ex lingua Germanica, tot præclaris scriptoribus illustrata, sumamus, quis est qui dubitet, utrum præferendum nostrum Schwefelsaures Eisenäschel an usitatum oxidirtes schwefelsaures Eisen, nostrum Schwefelbrintiges Tanäsch an usitatum Schwefelwasserstoffhaltiges Kali vel Hydrothionsaures Kali, nostrum Schwefelbrintiges Schwefeltanäsch an usitatum Schwefelwasserstoffhaltiges Schwefelkali, vel etiam Gallicum Hydrosulphure sulphuré de potasse. Svecica nomina corporum compositorum opera celeberrimi *Berzelii* breviora cæteris jam facta erant. Divisionem quam proposuit corporum combustorum non accidorum in sub-oxida, oxida sensu strictiori et super-oxida in fine Tab. I imitati sumus. Similiter nostra divisio corporum anti-acidorum in Äsk et Äskel ab ipsis in oxidul et oxid non nisi sono differt. Nostrum autem

totius dictionis artis ab integro reformandæ tentamen nova harum adulit rerum nomina, qvæ et indigena sunt, et brevitate cæterorumque affinitate quam maxime sese commendant.

Quamquam autem nomina compositorum jam multo breviora et usui commodiora redditæ sunt, restat tamen incommodum omnibus secundum recentiorem nomenclaturam formatis nominibus inhærens, quod scilicet nomen rei, compositæ quidem, sed simplissimæ speciem præ se ferentis, duobus vocabulis efficitur. Cui accedit quod alterum horum vocabulorum nominis adjectivi formam habet, quamquam elementum compositi æque ac illud quod substantivi habet formam significet. Offendit hoc parum, ubi de enumeratione compositorum ex certis elementis agitur, sed vix tolerari potest, quando effectus corporis, in quibus non tamquam compositum, sed tamquam unum et totum, se præbet, describendi sunt.

